

05

A

359



DISPUTATIO PUBLICA
De
SUMMO BONO

Quam
Divinâ benignè adjuvante gratiâ,
IN

Famigeratissima Wittebergensium Academia,
SUB PRÆSIDIO
RECTORIS MAGNIFICI,
Admodum Reverendi, Clarissimi &
Excellentissimi Viri,

DN. JOHANNIS SCHARFII,

S.S. Theol. Licentiati, Logices & Metaph. Profes-
soris Publici, Præceptoris ac Promotoris sui
ætatem colendi,

Academici Exercitii causâ defendere
adnitetur

CHRISTOPHORUS ELERDUS
BERLINENSIS.

Ad diem 16. Julii hor. matutin.
in Auditorio Minori.

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI Siegel.

—————
Anno MDCXXXVI



181

DISPUTATIO PUBLICA

SUMMO BONO

Divina benigna adjuvante gratia

Abhonoratus
RECTORIS MAGNIFICI
SIBI PRÆSIDIO



DR. JOHANNES SCHÄRFF

Philosophicæ & Metaph. Prof. Prolif.
Prolif. Prolif. Prolif. Prolif. Prolif.

753 A 50
Abhonoratus

CHRISTOPHORUS ELERDUS

BERLINENSIS

in theologia


in theologia

WITTEBERG

Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI Siegel

Anno MDCCXXVI





ΣΤΝ ΘΕΩ

De

SUMMO BONO

ΠΡΟΤΑΙΟΝ



Maximam inter summos Philosophos exti-
tisse dissensionem de summo hominis bo-
no non tantum *Augustinus libr. 15. de Civ.*

Dei testatur, referens temporibus Varro-
nis circiter 228. de summo bono fuisse opiniones, sed id-
ipsum experientia quoq; satis superq; comprobat. Unde
Tullius in libr. de finibus non abs re dubitavit, an major
circa aliquam rem possit esse dissensio. Cujus equidem
dissensionis si causam quæris; diversitatem vitæ gene-
rum, diversitatem & varietatem voluntatum de beati-
tudine peperisse, cum Philosopho dicimus. Ægrotus
enim sanitatem, voluptuarius voluptatem, avarus di-
vitiâs, Politicus honorem summum bonum constitu-
unt. Qui autem ignorantia sibi conscii sunt, eos admi-
rantur, qui magnum quid ac supra vires suas referunt.
Ne itaq; & nos in tantâ Opinionum varietate à veritate,
quam investigare difficillimum est, cum intellectus
noster πρὸς τὰ τῆ φύσει φανερώτατα πάντων se habeat, ὡς πρὸς
τὰ τῶν νυκτερίδων ὄμματα πρὸς τὸ φέγγος τὸ μεθ' ἡμέραν. *A-*
ristot. 2. Met. 1. deviemus, & τῆς οὐσίας (quod dicitur)
ἐμαρτάνωμεν, in primoq; impingamus limine, *essentiam*

A 2

sete



seu naturam summi boni cum requisitis reliquis διὰ βραχέων
enodare, partim θέσει, partim ζητήμασι certis inclusam
τῆς ἀληθείας incudi committere, & quomodo ignē ma-
lecosq; oppugnantium perferre ac sustinere potis sit,
videre placet. *DEUM* itaq; sine quo nil boni de bono
dicere valemus, & cuius in omni re gloriam quarimus, propi-
tium ducem & auspiciem nobis seriò precamur. Nostra n. in
literarum studiis, sine supernâ luce peregrinatio mise-
rabilis est quædam erratio. *Scal. Exercit. 359. f. 1.* cum hac
luce eamus ad rem ponendo.

THESIS I.

Antequam verò ad ejus definitionem accessum facia-
mus, ante omnia meritò sumus solliciti, *an sit aliquis huma-
narum actionum finis.* τὸ γὰρ ζητεῖν τί ἐστὶ, μὴ ἔχοντα ὅτι ἐστὶ,
μηδὲν ζητεῖν ἐστὶ: Quærere enim quid sit, cum ignoretur quod
sit, nihil est quærere. *Aristot. lib. 2. post. anal. c. 8.* Et non-Entis
nullæ dantur affectiones, nulla πράξεις, nullæ actiones.

I I.

Esse itaq; finem summum sequentibus evincimus ra-
tionibus.

I I I.

1. *Ex ordinato rerum omnium appetitu.* Omnia siquidem a-
nimalia agunt propter finem, quod multis probat *Aristoteles 2.*
Phys. cap. 8. Multò magis itaq; homo, animal illud nobilissi-
mum *Scalig. exerc. 250.* imò princeps animalium. *Scalig. in The-
oph. de plantis cap. 3.* Et propter quem omnia sunt condita,
finem aliquem ad quem tendat, eumq; ultimum sibi habebit
præfixum.

I V.

2. *Ab absurdo duplici.* Si non daretur, in quo homo
acquiesceret, & ad quod omnia appetitus humanus re-
ferre posset, utiq; in infinitum procederet. At infinitum ab-
horret

183

horret natura; *Aristoteles. libr. 3. Physic. cap. 6. & libr. 8. cap. 5. ἀδύνατον εἰς ἀπείρου ἕνα* lib. 2. *Metaph. cap. 2. & 1. posterior. anal. 3.* Ergò in aliquo tanquam ultimo subsistendum erit. 2. Appetitus hominis frustrà esset concessus, nunquam enim finem suum assequeretur, imò vana esset omnis nostra spes, vani conatus & actiones, quod dicere impium est, & in Deum & in naturam. Deus enim & natura nihil faciunt frustra. *Arist. l. 3. de anima c. 12. & lib. 1. de Celo t. 31. & 1. Polit. c. 2.*

V.

3. *Ab Experientia.* Hominis enim non tantùm expetunt bona, sed etiam alia aliis anteponunt, & certos suarum actionum fines semper, nisi planè deliri sint, sibi præfigunt. Ritè ac scitè *Cicero lib. 3. de natura Deor. Omnia propter aliorum causas sunt generata, ut fruges atq; fructus, quos terra gignit, animantium causa; ipse autem homo ortus est ad mundum contemplandum & imitandum. Et l. 2. de Fin. Ut ad cursum equus, ad arandum bos, ad indagandum canis: sic homo ad duas res, intelligendum & agendum natus est quasi mortalis DEUS.*

V I.

4. *Ab autoritate.* Plato enim in Dialog. de regno inquit: *Ars inventa est ad finem.* Si itaq; omnis ars, doctrina, itemque actio bonum aliquid seu finem appetunt. Quanto magis hominis natura finem appetet. Natura enim DEI potentiâ; ars verò ab hominibus excogitata, & non nisi eorum est, quæ à nostra voluntate dependent, & aliquo humano artificio fabricantur. *Zabarell. de nat. log.*

V I I.

Tandem haud obscurè finem ultimum indigitant varia *ab Aristotele l. 1. Ethic. Nic. c. 13. & aliis illi indita nomina, quæ fufius persequitur Piccolomineus grad. 9. cap. 1. civil. Phil. Et Heiderus in Syst. Phil. moral. p. m. 56.*

V I I I.

Atq; his ita explanatis, patet jam veritas nostræ hypothesos, esse scilicet aliquod summum hujus vitæ bonum. Sequitur *π' ὅτι* quid sit: cujus cognoscendæ causa traditur definitio, quam

quam cum Aristotele libr. 1. Eth. Nic. 6. libr. 1. Magn. moral. cap. 4. & libr. 2. eorundem cap. 1. exactam talem damus :

I X.

Εὐδαιμονία ἴσιν ἐνέργεια τῆς ψυχῆς λογικῆς κατ' ἀρετὴν δέξιαν καὶ τελειωτάτην ἐν βίῳ τελείῳ :

Summum bonum sive felicitas est operatio animæ rationalis secundum virtutem optimam & perfectissimam in vita perfecta.

X.

Definitum est felicitas. Ubi non intelligimus 1. beatitudinem sive felicitatem æternam quæ in visione DEI: 2. Nec spiritualem hujus vitæ, quæ in remissione peccatorum: 3. Neque Speculativam, quæ in speculando consistit. Sed moralem & civilem, ad quam homo in hac vita aspirare potest.

X I.

Genus in definitione, formam felicitatis generalem declarans, est ἐνέργεια, id est, operatio, quod sic probatur: Unum quodq; n. tantum dicitur perfectum, in quantum est actu, ultimus autem actus hominis est perfecta ejus operatio: Sequitur beatitudinem esse operationem, & per hanc rectè definiri. Id quod ipsum etiam docet Aristoteles inductione: Statuarii, tibicinis, pictoris & unius cujusq; artificis bonitas & perfectio ex ejus operatione & opere cernitur, unde vulgò dici solet, opus probat, id est, commendat artificem. Das Werk lobet den Meister. Ergò & hominis: quandoquidem homo quatenus est homo longè præstantior quam artifex, hominem enim esse pertinet ad ejus naturam & essentiam,

X II.

Explicato genere, sequuntur differentia, quarum tres in definitione ponuntur. Prima differentia est ψυχῆς λογικῆς animæ rationalis, non quod corpus excludatur, cum beatitudo ad utrumq; conjunctim, hoc est, corpus & animam pertineat, sed quia virtus principaliter ab anima, non à corpore dependet, neq; etiam homini respectu corporis, sed animæ tribuitur. rectè operatio animæ non corporis dicitur: Anima in homine datur triplex, vegetans, sentiens & rationalis. Non sentien-

189
tis, non vegetantis, quia hæc duæ homini cum brutis communes sunt, sed solius rationalis, quæ hominis propria est, operatio dicitur.

XIII.

Duæ autem in anima rationali dantur potentia, intellectus scilicet & voluntas, quæritur ergo utri adscribenda? Acriter quidem disceptatur inter Philosophos. Verum hæc res non videtur esse capitæ, ideoque nec capitali pugna opus erit. Nos dicimus utriusque adscribendam esse beatitudinem: Intellectui nimirum tanquam principio proponenti & cognoscenti; Voluntati vero tanquam iussa intellectus exsequenti, & felicitatem assequenti, eo quod omnis virtutis actio propriè sic dicta requirat *πρὸς αἰεσίαν, πρὸς αἰεσίαν* verò *γνώσιν καὶ βύλησιν*, quarum illa mentis, hæc voluntatis est.

XIV.

Altera differentia est κατ' ἀρετὴν τὴν ἀρίστην καὶ τελειοτάτην secundum virtutem optimam & perfectissimam, quibus innuitur fundamentum, cui insistit, ac quo sublato, ipsa collabitur. Quæ verò per virtutem perfectissimam intelligatur virtus, non inter omnes constat, cum quidam sapientiam, alii justitiam, alii prudentiam eam esse arbitrantur, ut videre est apud Piccol. grad. 9. cap. 28. Nobis illa dicitur optima & perfectissima, quæ in unoquoque homine perfectè acquisita confirmata omnibus cæteris in eodem subjecto præeminet.

XV.

Tertia differentia ἐν βίῳ τελείῳ in vita perfecta. Ubi secundum Ethicos duplex notanda venit perfectio, ad beatitudinem politicam necessaria, una ætatis iudicii confirmationem flagitans. Sicut enim respectu corporis tunc demum homo dicitur perfectus cum sibi simile generare potest, ita quoque ratione animi tunc assecutus dicitur ætatem perfectam, quando secundum virtutem jam agere potest. Unde puero hæc felicitas denegatur. l. 1. Mag. moral. cap. 4. altera durationis, ut diu summo bono fruatur. Quia enim unicuique homini certus, isque invariabilis, à natura terminus præfixus est, debet homo
bea-

beatus, antequam terminum hunc assequatur, per aliquod annos cum virtutis habitu vitam duxisse multasq; & præclaras actiones edidisse, eò quod sicut una hirundo atq; una dies non facit ver, ita quoq; una aut altera virtutis actio neminem efficiat beatum vel bonum. *Atq; hæc de genere & differentiis: sequitur divisio.*

XVI.

Felicitas sive summum bonum est vel absolutè & ἀπλῶς summum, vel secundum quid & ad hanc vitam restrictam.

XVII.

Summum bonum absolutè & ἀπλῶς dictum est unio cum Deo, sive fruitio Dei secundum omnes hominis facultates, cujus consideratio ex Theologiâ rectius quam ex Philosophia desumitur.

XVIII.

Summum hominis bonum secundum quid, sive ad hanc presentem vitam restrictum est illud, de quo Philosophus agit, subdividiturq; in θεωρητικὸν & πρακτικὸν.

XIX.

Summum bonum θεωρητικὸν sive speculativum est functio animæ rationalis secundum virtutem perfectam intellectualem.

XX.

Summum bonum practicum est functio animi secundum virtutem perfectam moralem.

XXI.

Ut speculativum consistit ἐν τῷ θεωρεῖν, ita hoc ἐν τῷ ὄψασθαι & in exercitio virtutum moralium sive bonis compositis & honestis moribus. Estq; propriè hujus loci, non enim hic docemur scire, sed facere, non speculari sed operari. *Atq; hæc & de divisione, sequitur causa efficiens.*

XXII.

Causa efficiens ut omnium fermè rerum ita & summi boni duplex est. Principalis & instrumentalis. illa iterum duplex Divina & humana. Divina est DEUS Ter Opt: Max: quod & ipse agno-

185

agnovit Aristoteles licet Ethnicus. Sic enim *lib. 1. Nicom. cap. 1.*: Si aliquid aliud est à Diis hominibus exhibitum donum, verisimile est, felicitatem quoque à Diis exhiberi.

XXIII.

Humana est ipse homo, non tamen quilibet, sed jam virtutis templo constitutus, seu uno verbo, secundum virtutem continuo agens. Nam ut in ludis Olympicis non formosissimis, aut robustissimis corona donatur, sed qui in certamen veniunt: Ita felicitatis compotes non sunt, qui dies noctesque virtuti non incumbunt.

XXIV.

Instrumentalis est ipsa virtus, non tamen quævis, sed & ipsa agens. Per virtutem enim tanquam instrumentum comparatur, nec ullibi sine virtute datur.

XXV.

Subiectum beatitudinis sive felicitatis sunt, qui perfecte agunt secundum virtutem perfectam. Nam ad virtutis exercitium requiritur 1. Agibulum cognitio. 2. Accurata deliberatio. 3. Libera Electio. 4. Appetitus castigatio. 5. Constans executio. Hinc neque in bestias neque in pueros beatitudo cadit. Non in illas, quia intellectu & voluntate destituuntur, quapropter in eas nec ratione actus nec ratione *δυνάμεις* felicitas cadit. Non in hos propter imbecillitatem iudicii. Pueri tamen etsi actu quidem beati non sunt, tamen aliquando possunt, adest *δύναμις*, etsi desit *ἐνέργεια*. Videatur B. Meisnerus in tractat. de S. B. quest. 1. cap. 2. p. mibi 164.

XXVI.

Tandem accidentia, quæ quidem ipsam essentiam non ingrediuntur, sed concomitanter ad beatitudinem requiruntur, sunt vel summi boni proprietates ejus essentielles vel accidentia communia.

XXVII.

Proprietates essentielles sunt affectiones summi Boni, quidem essentia posteriores, cum eo tamen quia sunt reciprocae, ab illarum cognitione provehimur in ipsius essentia perceptionem.

B

XXVIII. Pri-

XXVIII. *Prima* Ἐγὼ *summi boni affectio est, quod sit ἀκρότατον καὶ*
τελειότατον τῶν πραγμάτων ἀγαθόν inter actiones humanas sum-
mmum & perfectissimum bonum. Arist. 1. Eth. Nic. cap. 8. Ακρότα-
τον quidem, ne ultra id aliud superius detur, sed in isto appe-
titus terminetur. In hoc enim bono omnia bona concurrunt,
& propter id omnes omnia suscipiunt. *τελειότατον*, quia si a-
liud perfectius esset, summum non foret. Illud enim ultima-
tè appetimus, quod perfectissimum est, nostroq; desiderio sa-
tisfacere potest.

XXIX.

Altera est, quod sit ἀυτάρκης, sibi sufficiens & nulla re indigens.
Lib. 1. Ethic. Nic. cap. 7. Si enim aliud præter & ultra se expe-
teret, summum & perfectissimum non esset. Αὐτάρκεια siqui-
dem certa perfectionis nota est, nam omne ens tum perfe-
ctum est, cum seipso contentum sibiq; est omnia.

XXX.

Tertia quod sit ὀικεῖον, proprium domesticum internum & in
optima hominis parte situm 1. Ethic. 3. Nam si sit ἀλλότριον ali-
enum & externum, non erit in hominis potestate. Si partis
ignobilioris, non erit optimum.

XXXI.

Quarta, quod sit τίμιον, honorabile potius quam ἐπαινετὸν
laudabile. Aristot. lib. 1. Eth. Nic. cap. 12. & lib. 1. Mag. Moral. c. 2.
Tria ibidem honorum genera constituit. 1. *τίμια* vel honora-
bilia, quæ per se sunt veneranda. 2. *ἐπαινετὰ* laudabilia, quæ
merentur laudem ob usum quem præstant. 3. *ἑδέτερα*, neutra
seu intermedia, quæ per se ne honorem, nec laudem meren-
tur.

XXXII.

Quinta, quod sit μόνιμον, δυσμετάωπτον καὶ ἀναφαιρῆστον,
constanter manens, fixum & immutabile 1. Eth. 3. Stare & immobile
sit oportet, quod bonum esse & appetitui satisfacere debet.
Nam quo quid tenacius & constantius, eò melius: quo verò
est fugacius, eò minoris æstimatur. Summum itaq; bonum

sum.

summè fixum esse & continenter manere debet, adeo ut vi-
rum beatum efficiat τετράγωνον quadratum.

XXXIII.

*Sexta, quod sit καθ' αὐτὸ δίκαιον καὶ αἰεὶ αἰρετόν, per se &
propter se tantum appetibile i. Ethic. 7. Nam quod propter aliud
expetitur absolutè summum bonum non est, & rursus quod
propter se expetitur, id solum summum bonum est.*

XXXIV.

*Septima quod sit θεῖον, divinum. i. Ethic. 9. Est autem tale,
tum ratione causæ efficientis, quoniam à DEO; tum ratione digni-
tatis, quâ proximè ad DEUM accedit.*

XXXV.

*Octava est, quod sit πολύκοινον, commune i. Ethic. 9. Bona
enim quo sunt communiora eò præstantiora. Non igitur
unius vel alterius individui, sed totius speciei, ac proinde
omnium hominum erit.*

XXXVI.

*Accidentia autem illa sunt in duplici classe primaria vel
secundaria.*

XXXVII.

*Primaria animi sunt & corporis. Animi, bona conscientia,
quâ nihil dulcius aut quietius, quæ nec damna, nec quicquam
aliud formidat, sed quotidie virescit, & viventem afficit gau-
dio, consolatur morientem, æternumq; durat, & ipse hominis
est paradisus. Corporis, sanitas, quâ nihil in vitâ præstantius,
canente alicubi Menandro: Et pulchritudo. Nam ubiq;*

Gratior est pulchro veniens è corpore virtus.

XXXVIII.

*Secundaria, quæq; in externis consistunt, sunt bona fama,
opes, Amici: quæ omnia cum non sunt de essentia, sunt tamen
necessaria. Nam nullum externum est de essentia alicujus
rei, potest tamen esse necessarium. Atq; hæc quoad*

theses, sequuntur nunc ζητήματα.

B 2

ZETHMA I.

ZHTHMA. I.

An homo hoc summum bonum assequi
possit?

Distinguendum hîc est inter *felicitem*, quæ dupliciter
consideratur. 1. *Ratione partium & initii*. 2. *Ratione totius &
complementi*. Per partes felicitatis indignantur virtutes parti-
culares; per totum congeries virtutum omnium. Quo præ-
supposito, quæstionem hac thesi decidimus: *Homo in hac vitâ
potest assequi beatitudinem partialem vix totalem; inchoatam non
consummatam*, ob sequentes rationes. 1. *Rationis cecitas*. Hinc
Seneca lib. 2. de ira cap. 9.: *Inter cetera mortalitatis incommoda
& hoc est, caligo mentium*. Item Poëta:

*O miseri, quantum mortalia pectora cæca
Noctis habent!*

At verò hæc se invicem tollunt, mens cæca & beatitudo sum-
ma. 2. *Appetitus malignitas*. 3. *Labendi proclivitas*. 4. *Miseria-
rum varietas*. 5. *Virtutis imperfecta possessio*. 6. *Perpetua vitiorum
admixtio*. His ita præmissis dicimus. 1. quod summum bo-
num in natura rerum existat, sed non in uno, verùm indivi-
duis multis. In hoc n. temperantia, in illo fortitudo, in alio
alia virtus perfectius reperitur. 2. Quod existat non ratione
complementi, prout sincerum & ex omni parte perfectum est,
sed ratione initii, prout inchoatum & cum quibusdam vitiis
pro ratione hujus vitæ & imbecillitatis humanæ permixtum
est. videatur B. Meisnerus in tract. de S. B. cap. 2. quest. 2. p. mibi
166. & seqq.

ZHTHMA II.

An summum hominis bonum consistat in
voluptate?

Απολαυσικόν genus vitæ sectantes beatitudinem in vo-
luptatibus collocant, quos *Aristot.* nominat *Φορτικῆς ἀνδραπο-
δαίσεις, βοσκημάτων βίον πρῆλαιεμένους*, & non immerito. Illi
enim

enim à beluis parum aut omninò nihil distant, quin si pejores bestiis eos diceret, non injuriam eis faceret. Ideòq; rationes illorum, quas afferre solent, refutatione non dignas censuit Aristoteles, siquidem nullius sunt ponderis. Ast inquis, non intelligi ab illis voluptatem corporis sed animi? Respond. 1. *Exempla multorum diversum planè ostendunt; sufficiat unicum Sardanapali, qui totus voluptatibus deditus fuit, cujus DENS venter erat, pulmo templum, aqualiculus altare, coquus sacerdos; cujus tota charitas in cacabis fervebat, tota fides in culinis calebat, tota spes in ferculis jacebat.* Notum est illud, quod semper in ore habuit loco Symboli :

Lude, bibas, comedas, post mortem nulla voluptas.

Unde etiam tale sibi epitaphium scribi jussit :

Hæc habui, quæ edi, quæq; exaturata libido.

Hausit, at illa jacent, multa & præclaræ reliquæ.

Eadem est mens illorum, quorum sententia describitur *Esai. cap. 22. vers. 13. & cap. 56. v. 12. sapient. 2. vers. 6. & 1. Corinth. 13. vers. 32. Comedamus & bibamus, cras enim moriemur.* 2. Si vel maximè voluptas animi intelligatur ab illis, tamen neq; hæc summum bonum constituit. 1. quia voluptas non propter se; sed propter beatitudinem expetitur, ad eamq; tota dirigitur. 2. quia ex voluptate nemo denominatur bonus, nedum summè bonus. 3. quia voluptas non ex se sed honestâ actione bonitatem suam mutuatur, ita quidem, ut honestate dempta, voluptas bona esse vel dici haud mereatur. 4. quia quidditatem & essentiam summi boni consequitur, & verò id quod alterum consequitur, eidem essentielle dici non potest, perinde ut risibilitas proprium hominis accidens, ejusdem essentia non dicitur.

ZHTHMA III.

An honor sit summum bonum?

Neg. 1. Quia summum bonum est οὐκείον, & totum proprium ejus, cujus est. At tale quid honor non est. sed τὴν τιμὴν δούκει ἐν τοῖς τιμῶσι μάλλον εἶναι, ἢ ἐν τῷ τιμωμένῳ, ait Aristoteles, secundum

B 3

vulga-



vulgare dictum; *Honor non est honorati sed honorantis.* 2. *sum-
mum bonum est δυσφαίρετον, difficulter mobile, quale quid ho-
nor est, ut exempla profana & sacra satis superq; testantur.* 3.
*Non propter se honor appetitur, sed propter virtutem, cujus testimo-
nium nobis per honorem perhibetur, unde vulgò dicitur, ho-
norem sequi virtutem, perinde ut umbram corpus, umbra
corpus comitatur semper, sed non eodem modo, nonnunquā
antecedit, nonnunquam sequitur corpus, nonnunquam à
latere eidem jungitur.* Ita quoq; nonnullorum virtus sub
ipsis auspiciis habetur honorata; Aliquorum non nisi perfecta
& consummata, aliquorum tandem, quando jam esse defici-
unt, cum hinc demum homines sua cognoscant bona, cum,
quæ in potestate habuerunt, amiserunt.

*Hæc argumenta, quamvis sat roboris habent, non omnibus tamen
persuadent; unde τὸν πολιτικὸν βίον περιεργυτες, in contrari-
um sic eunt. 1. quia requisita summi boni honori conveni-
unt, videlicet præmium esse virtutis, quod ex definitione hono-
ris constat, & ab omnibus appeti, quod experientia testatur. 2.
quia honore DEO conformes fiunt. 3. quia per gloriam
quodammodo æternitatem consequuntur, quod rationem sum-
mi boni habet, quippe quod stabilissimum est. Verum pro hisce
bullis rumpendis leviculus ventus sufficere potest. In primo enim argu-
mento est ὁμωνυμία in τῷ præmium virtutis, quod vel pro si-
gno ejus, vel pro ipsa re sumitur : Honor quidem est signum
præmii virtutis; hunc enim ab hominibus accipiunt virtuosi
quasi non habentibus ad dandum majus : ipsum autem præmi-
um absolutum esse nequit, propter quod operantur virtute
præditi : Hoc enim est ipsa beatitudo. Deinde quod dicitur
ab omnibus appeti, illud fit propter concomitantiam. In 2.
est fallacia πᾶσι τὸ μὴ ἐπὶ δέον. Honor enim quando Deo tri-
buitur, signum est & testimonium excellentiæ præexistentis;
non verò quasi honor faciat Deum beatum. Ad 3. πᾶσι τὸ
συνεβεβηκός. Per accidens enim fama & gloria stabilis interdum
perseverat, & per mundum volitat; sed summum bonum per
se stabile. Deinde perseverans signum tantum est beatitudinis.*

ZHTH, IV,

ZETHMA IV.

An divitiæ sint summum bonum?

χρηματισμὸν pro summo bono habent divitias, persuasi his
potissimum ratiunculis: 1. quia divitias maximè appetunt homi-
 nes, id quod de ratione ultimi finis est. 2. quia pecunia obedi-
 unt omnia, & qui divitias habet, omnia habet, qui omnia ha-
 bet, nil amplius appetit; qui amplius nil appetere potest,
 summam felicitatem habet, hæc enim sola propter se expeti-
 tur ac ultimò. Ergò summum bonum est. *Verum opinionem*
hanc falsam, ineptam, pestilentem, & exitiosam esse ob sequentes ra-
tiones aimus. 1. quia sunt bona externa, & duntaxat ob imbe-
 cillitatem corporis necessaria. Summum bonum verò est in-
 terna mentis operatio. 2. quia divitiæ sunt bonum violentum,
 & alterius gratia appetuntur. 3. quia divitiis male uti possu-
 mus: multis perniciem, omnibus penè periculum creant.
 E. in eis non est beatitudo. Ad *argumenta contraria respondemus*
& quidem ad. 1. quod multitudo errantium non pariat errori
 patrocinium. Deinde distinguimus *inter appetitum rectum & cur-*
vum, ratione informatum & vitio depravatum. Ad 2. quod o-
 mnia corporalia bona quidem obediunt pecuniæ, si multitu-
 dinem stultorum respicimus, qui sola corporalia bona a-
 gnoscunt, quæ pecuniâ acquiri possunt: iudicium autem de
 humanis bonis non debet sumi à stultis, sed à sapientibus.

ZETHMA V.

An beatitudo consistat in Idea
Platonica?

Sicut aliarum rerum omnium ita quoq; bonorum
 quandam ideam seu naturam universalem faciunt, quam Pla-
 toni præcipuè imponunt, ac si in hujus contemplatione fe-
 licitatem Politicam consistere arbitratus fuerit. Plato autem
scribit libr. 7. de Republ. fol. 481. Edit. Lugdunensis Anno 90.
Arbi

Arbitror in ipso ordine intelligibili boni ipsius ideam supremam consistere, vixq; videri: si autem visa fuerit asserendum eam omnibus, omnium quæ recta & bona sunt causam esse, cum ipsa in loco visibili lumen creaverit & luminis autorem: in ipso verò intelligibili regnet ipsa, veritatemq; & mentem protulerit: quam nosse necesse sit omnem, quicumq; sana mente quicquam vel privatim vel publice est acturus. Hanc Platonis ideam vulgus Philosophorum temporibus Philosophi interpretabatur de communi quadam idea omnium bonorum, seu forma aliqua essentiali extra DEUM seorsim alicubi existente, à quâ omnia inferiora bona ex æquo suam obtineant essentiam & notitiam, in cuius cognitione summa hominis felicitas consistat: Talem ideam nullam dari Aristoteles i. Ethic. cap. 6. probat. Verum ut distinctè quid de Platonis opinione sentiendum sit sciatur sequentia notabimus. I. Platonem per communem bonorum omnium ideam non formam aliquam boni essentialem omnibus bonis communem, uti vulgus arbitrabatur, sed communem rerum omnium formam in ipsa DEI essentia consistentem, & cum ea, quoad ipsam rem, convertibilem intelligere. II. Posse etiam hanc Platonis opinionem, de communi idea boni, accipi de eminentiâ quadam, hoc est, de bono præstantissimo ac eminentissimo, in quo omnia bona conveniant; Atque sic DEO itidem attribui potest, quia etiam in hoc omne id, quod rationem aliquam bonitatis habet inest. III. Platonem non loqui de univoca & æqua bonorum omnium ex idea boni denominatione & participatione, sed de qualicumq; bonorum inferiorum ab idea boni denominatione. Dicimus ergo, opinionem Platonis utrovis horum sensuum acceptam esse quidem veram, interim à presenti instituto alienam, cum hic non de bono transcendentali, sed bono morali summo, neq; etiam de tali beatitudine, quæ in mera contemplatione, sed quæ in actione consistat, & propriis viribus humanis acquiri possit, questio sit.

Non itaq; omnem ideam boni, sed eam solum, quam vulgus sibi imaginabatur, simpliciter, Platoniam verò ideam tantum

189
tantum tanquam à præsenti quæstione alienam, Aristoteles in
controversiâ de summo bono rejecit. *Vid. Picc. grad. 9. Phil.
moral. cap. 26.*

ZHTHMA VI.

An summum bonum consistat in habitu vel
operatione virtutis?

Stoici beatitudinem in virtute habitualiter acceptâ col-
locabant. Verum in ea consistere ob *sequentes rationes negamus.*
1. *quia habitus ille virtutis non semper aliquid boni exhibet, uti*
patet in dormiente, & alio homine otioso, in quo habitus esse
potest, ἐνέγεια minimè. 2. *quia operatio & usus virtutis præ-*
stantior est ejus habitu ac possessione. 3. *quia virtutis habitus*
propter habitationem comparatur. 4. *quia habitu non possumus*
participes fieri bonorum, in hac vita quæ sunt, sed operatio-
ne. *Hinc casus in spec. moral. quest. cap. 4. p. m. 23. ita non*
minus eleganter quam accuratè infert: Etsi virtus sit pretiosi-
or auro, etsi sola post funera vivat, tamen si illa in habitu non in
actu, si in quiete non in motu, si deniq; in sinu non in manu teneas,
certè ut parum prodest alijs ad exemplum, ita sibi deest ad nomen
beatitudinis aucupandum. Dum ergo aliud sit virtus, aliud actio
virtutis, illam ut medium, hanc ut præmium: illam ut radicem & cau-
sam, hanc ut fructum & finem ponimus.

ZHTHMA VII.

An detur aliquod summum malum summo
bono oppositum?

Bonum tripliciter consideratur. 1. datur bonum transcenden-
tale, quod est affectio entis unita, & cum eodem recipitur,
ita ut omne ens bonum, & omne bonum ens sit: Atq; huic
bono oppositum malum non datur, quia enim bonum est ens,
malum hoc esset non ens; Non ens in natura datur nullum,
nisi id, quod non est, esse dicere volueris, quod ἀτοπον. II.

C

Bonum

Bonum naturale, quod naturæ congruit, sic dicimus aquam bonam piscibus, quæ naturæ illorum convenit. Huic bono opponitur malum seu imperfectio entis. *III. Morale*, quod dicit convenientiam cum lege naturæ & rationis in moribus: estq; nihil aliud quam honesta actio benè moratum & virtuosum factum, & omnis *ευνομία*. Atq; de hoc bono primario jam loquimur, cui opponitur summum malum, quia posito contrariorum uno in natura, & alterum esse nihil prohibet. *Unde Arist. 1. Eth. 10. ait*: actiones virtutum esse beatitudinis dominas, contrarii vero dominas esse contrarias actiones. Inquis, Quid est itaq; summum malum?

*Est actio improba ex vitio perfecto in
etate perfecta prodiens.*

SUMMO BONO SUM- MA GLORIA.



AD



19

AD ORNATISSIMUM DN. RESPONDEN-
TEM AMICUM ET COMMENSALEM SUUM
DILECTUM.

FLERDE, non sensere Summo de bono
omnes idem, suasque singuli vias
secuti. At, & verum tenens, nec incidens
quærendo, in errorem, bono: vel litium
amore, sive lapsus imprudentiâ:
Idem sed & vitâ exprimere qui nititur,
is rectè, opinor, aget, & haud negabimus,
Laudem & decus merebitur haud ultimum.

Ac fortè deliria probare quæpiam
potius sit, erroris vel enormis licet,
& inclitæ studere virtuti tamen,
probæque vitæ, quam sine illo, hujus fugam.
Quod in vitia præceps juvenia, & gloriæ,
ut plurimum vanæ, cupida, non cernere
Semper solet, sed disputasse quæpiam
contenta dixisseque, parum est, de cætero
quid fiat, anxia. Suntque, qui, quæ aliis sua
Decreta præscribere moribus super,
In vulgus evulgata, vitâ postmodum
Ipsa refutent deleantque sæpius.

Tu, AMICE, summo de bono quæ verior
Opinio sit, jam doces, ac Præsidi
sub SCHARFIO haud ineruditè disputas


C 2

MA-

MAGNO. Auguror, te porrò sedulò quoque
Operam daturum, ut vita pulchrè concinat,
nec invicem ars moresque se inter discrepent,
Quò & ipsa PATRIS te vocant vestigia.

Sic est futurum, ut plenus ingenii bonis,
olimque doctus artibus pulcherrimis,
Huic debita studio reportes præmia.

M. JOHANNES REINECCIUS Halbersta-
diensis, Coll. Phil. Adjunctus.



Ad eundem!

Sorte suã nullus vivit contentus; ubiq;
Quilibet optat opes, re quoq; captat opes
Quæ ratio? vix ulla viro ratio est, bona quæ sunt
Vera bona ignorans, non-bona sepè cupit.

Ergo beatus erit bona qui discernere discit,
Quò bona non-bona mox noscere ritè queat
Hoc facit ELERDUS rectè bona quæ bona dicit
Ευδαιμων ergo noster ELERDUS erit.

contest. amic. ergo

αυτοχεδιασε

M. JOACH. DECCERUS

Palæo Brandebur-
genfis.

05A 359

ULB Halle 3
004 210 14X



V017





Inches
Centimetres

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

1813

PUBLICA

BONO

ivante gratiâ,

sum Academia,

DIO

GNIFICI,

li, Clarissimi &

Viri,

S SCHARFII,

ces & Metaph. Profes-

ac Promotoris sui

endi,

causâ defendere

IS ELERDUS
ENSIS.

hor. matutin.

Minori.

R G Æ,

STOPHORI Siegel.

XXXVI